UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Aloysius Lollinus Belluni Episcopus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Visual Library

ALOYSIUS LOLLINUS
BELLUNI EPISCOPUS.

Bellunenſibus ſuis P. S.

PIERII VALERIANI Bellunenſia in hanc uſque diem apud me in ſcriniis Muſarum aſſervata, publici facere juris decrevi, eâ potiſſimùm causâ permotus, ne vos, quos ego & meâ ſponte, & ex ſuſcepto multò magis munere omni, non tam virtutum Chriſtianarum, quàm honeſtorum ſtudiorum genere florentes cupio, antiquitatum urbis veſtræ atque originis ignari in patria peregrinari videremini, ſimul labor iſte tam præclarus viri eloquentia, & eruditione excultiſſimi, cujus equidem memoriæ, laudique vehementer faveo, extaret inter cætera illius monumenta teſtis, pietatis ſuæ in vos omnes. Quod & Patriæ veſtræ, quæ tali alumno merito ſe jactat, perhonorificum; & vobis, qui tanto cive gloriamini non indecorum cenſeo futurum. Bellunenſibus conjungi ejusdem auctoris dialogum curavi de calamitatibus literatorum ob caſuum varietatem, & interlocutorum amplitudinem lectu, niſi fallor, haud injucundum. Romæ enim habitus narratur apud Gaſparem Contarenum Virorum ſui ſæculi, vel potius heroum optimum, doctiſſimum; qui non multo poſt tempore S. R. E. Cardinalis primum, deinde Epiſcopus Belluni declaratus, civitatem veſtram tanti ſplendore nominis illuſtrat. Valete meâ curâ, & flagrantiſſimum meum in vos ſtudium uberioris ſpe profectus alite. Belluni in ſtativis. Idibus Junii. M. DC. XX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN